

quatenus . . . . . dictus D. Episcopus Aquensis, & Comes potest de jure communi, auctoritate ordinaria dictos Canonicos, & Capitulum dictæ Aquensis Ecclesiæ semel in anno visitare, & necessitate imminente potest etiam ipsos pluries visitare in eodem anno. Item dicimus, pronunciamus &c., quod dum D. Episcopus auctoritate ordinaria visitat suos Canonicos, & Capitulum potest petere, & exigere ratione visitationis ab eis procuracionem pro qualibet die ipsius visitationis, & 10 dum est in ipso officio visitationis per . . . . . juxta formam præfixam, & limitatam in dicta Constitutione Benedicti Papæ XI., quæ incipit VAS ELECTIONIS &c. prædicta dicimus, pronunciamus, sententiamus, & arbitramur, iudicamus, & observamus, mandamus per prædictas partes, & inter ipsas sub pœna in dicto compromisso apposita, & adjecta committenda, & exigenda secundum formam ipsius compromissi. Et quia ipse D. Episcopus de bursa sua satisfecit nobis arbitris in florenis IV. 20 ad rationem de solidis XXVI. Astensibus pro quolibet floreno, præcipimus, ut supradictum Capitulum, & Canonici dent ipsi D. Episcopo medieta-tem, & ea . . . pro notario q. . . . . infra XV. dies a tempore notificationis eis facte, & hoc absentibus partibus prædictis, & de prædictis Domini arbitri rogaverunt, & præceperunt per me Notarium infra scriptum fieri publicum instrumentum, si fuerit opportunum anno Domini MCCCLXVI., in- 30 dictione IV., die XXVI. novembris. Actum Ast in domo habitationis prædicti Abbatis præsentibus testibus Venerando, & Reverendo D. Antonio de Garetis, & Matheo de Starengis. Et ego D. Ferrarius de Cunicho Not. &c.

(1) *Hæc decretalis habetur in Extrav. tit. X. de censibus, & procur., & præfert nomen Ben. XII. non XI., ut mendose legitur in hac charta. Edita autem fuit Avenione XV. cal. januarii Pontificatus anno II. ad compescendam Prælatorum in exigendis procuracionibus avaritiam. Hujus rei causa generalem pro omni- 40 bus locis taxam constituit, quam excedere nefas esset. Dividit autem loca in Galliam, ac Germaniam, Hispaniam, Italiam, & insulas, & partes ultramarinas. De Episcopis vero Italiæ hæc statuit circa procuracionem Episcopi: etiam . . . a Cathedralibus Ecclesiis ultra quinquaginta (Turonenses) non audeant recipere quoquo modo pro procuracione unius diei, sive in victualibus, sive a volentibus in pecunia. Ac ne dubium emergeret de Turonensium valore, sic in fine explicat., Porro Turonenses prædictos tales fore intelligimus quod 50 XII. ipsorum valeant unum florenum auri boni, puri, & legalis ponderis, ac cunii Florentini.,.*

*Licentia audiendi confessiones, & absolvendi a casibus reservatis pro Ecclesia Alexandrina data fratribus S. M. de Foro Aq. Diac.*

Guido Dei gratia Episcopus Aquensis, & Co- 60 mes dilecto nobis in Domino Jesu Christo fratri Gullielmo Mercario Præposito, necnon fratri Pagano Aicardi fratri Bertramo Manescalco fratri-

bus conventus s. Mariæ de Foro de Alexandria nostræ Aquensis Diocesis salutem in Domino. Supplicatio vestri parte nobis exhibita continebat, ut aliquos de casibus nobis, & aliis Episcopis a jure reservatis vobis concedere dignaremur. Annuentes igitur supplicationi præmissæ, tamquam qui salutem animarum nostræ Diocesis summis desideriis affectamus, tenore præsentium vobis, & cuilibet vestrum committimus, ut quascumque personas de Ecclesia Alexandrina, & circumposita regione vobis confiteri volentes possitis pœnitentialiter audire, & eas de casibus infra scriptis absolvere, & eis, & cuilibet ipsarum injungere pœnitentiam salutarem, super quibus vestram conscientiam oneramus. In quorum testimonium præsentibus fieri jussimus, & nostro sigillo muniri. Datum in Castro nostro Bestagni, die penultima martii, anno Domini MCCCLXVII., indict. V.

Casus reservati. Primo de blasphemantibus Deum, B. Virginem, & Sanctos. Item de laborantibus diebus Dominicis, & Festivis. Item de euntibus ad divinos, & divinas, & de utentibus fortilegiis, dummodo tamen non sint publici incantatores. Item de peccantibus contra naturam. Item de incoestu cum matre, sorore, vel filia. Item de commutatione privatorum votorum. Item de perjurio, restituito damno. Item de adulterio. Item de illis, qui interfuerunt in cavalcatis, in quibus facta fuerunt homicidia.

*Collatio Ecclesiæ S. Hyppoliti de Nicia Henrico Guarnerio electo a Capitulo Aquensi.*

MCCCCLXVII.

In nom. Dom. amen. Ann. ejusdem MCCCLXVII., 330  
indictione V., die XI. junii in castro Bestagni, præsentibus venerabilibus, & discretis viris dominis Jacobino ex Marchionibus Incisæ, Magistro Gullielmo de Clericis de Nitia, Francisco Gullielmo de Oddonis de Incisa, & Joanne Martino de Guafchis de Alexandria testibus vocatis, & rogatis. Discretus vir presbyter Henricus Guarnerii electus ad rectoriam, & administrationem Ecclesiæ s. Hyppoliti de Bellemonte de Nitia Diocesis Aquensis per Capitulum, & Canonicos Aquensis Ecclesiæ, prout de dicta electione patet in actis Curie Reverendi in Christo Patris, & Domini Guidonis Dei gratia Aquensis Episcopi, & Comitum, hoc, & eodem anno, & indict., die prima hujus mensis junii constitutus in jure coram præfato D. Episcopo humiliter, & devote supplicavit eidem, prout alias supplicavit, ut electionem ipsam de eo factam ad dictam rectoriam ipsius Ecclesiæ ea vacante rectore per privationem legitime factam de Fratre Milano Operto de Zoppis approbare, & ratificare dignaretur, qui D. Episcopus annuens justæ supplicationi ipsius viri, dicta electione de ejus licentia facta, & edito per ipsum D. Episcopum ad dictam Ecclesiam s. Hyppoliti affixo, & applicato, ac visa etiam sufficientia dicti presbyteri Henrici, & super his omnibus habita deliberatione matura, Christi nomine vocato, & beati Hyppoliti, confirmavit, & approbavit electionem prædictam de prædicte